Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Alban

Disquisitiones quaedam de Icteri Ortu quatenus ab Hepatitide differt : Dissertatio inauguralis medica

Rostochii: Literis Adlerianis, 1814

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007301554

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN OCR-Volltext

RU med. 1814
Alban, Jo. Ern. Henr.

Disquisitiones
quaedam
de
Icteri Ortu
quatenus ab
Hepatitide differt.

Dissertatio inauguralis medica
quam
Auctoritate et consensu illustris medicorum ordinis
in Academia Rostochiensi
pro
summis in utraque medicina honoribus
rite capescendis
publico eruditorum examini
submittit
Joannes Ernestus Henricus Alban
Strelitio - Megalopolitanus.

Rostochii 1814.
Literis Adlerianis.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Praeceptoribus suis, summa

veneratione colendis,

Celeberrimo Expertissimo

Domino

G. H. MASIUS

Scientiae medicae Doctori
et in Universitate Rostochiensi Professori
meritissimo,
complurium societatum literariarum membro
dignissimo,

primo suo in studiis medici duci

atque auspici

et

Celeberrimo atque Expertissimo

Domino

L. MENDE

itidem scientiae medicae Doctori,
medicae facultatis Adjuncto et instituti clinici
Gryphiswaldiae Antistiti,
collegii sanitatis Regii Assessori,
et praecipuarum societatum literariarum membro
dignissimo,

studiorum suorum consummatori

optimo

hasce disquisitiones

sacras voluit debuit

Auctor.

I.

An in hepatitide secretio bilis necessario supprimitur?

§. 1.

Unamquamque secernentium organorum inflammationem, experientia magistra, majus minusve sequitur in functionibus impedimentum. Disturbii vero hujus gradus et ratio ab inflammationis ambitu et modo pendent. Mediocres et lentius serpentes secretionem, nonnisi spectata forma atque commixtione, morbidam afferre mutationem, quodque praecipue in inflammatione chronica ac cachectica obtinet, semper in deformationem vergere videntur. Secretionem secundum formam ac mixtionem morbide mutatam, *perversam* vocant medici. At vero inflammationes vehementiores acutioresque omnem fere secernendi vim supprimunt. Quod adeo certa atque indubitata firmatur experientia, ut ubi nullis visibilibus propriisque symptomatibus produntur, utpote in penitius abditis organis latentes, ex impedita eorundem in exteriora actione illam adesse tuto concludas.

§. 2.

§. 2.

In quocumque organi loco exoritur inflammatio, sublatam crede proportionem inter affluentem sanguinis copiam, interque illam activitatem, quae organi tum functiones ad exteriora pertingentes, tum ipsam ejusdem substantiam digerendo sanguine tuentur, cujus proportionis turbatio, proxime ab arteria procedens, in ea illius parte residet, quae systema vasorum capillarium dici solet. Quod per se neque arteriae nec venae naturam habet, sed synthesin arteriam inter et venam efficit. Quorum vasorum ope arteria a suo promovendi aut fortassis etiam digerendi sanguinis munere ad nutritionis transit negotium. Illa igitur disturbata in vasis hisce ratione, ob succumbentem sanguinis massae nativam eorum vim, nec ad majores arteriarum, e quibus oriuntur, ramos, nec ad suam amplitudinem, debitam servare rationem, nec explendo nutritionis muneri sufficere quibunt, unde et internorum et externorum organi perturbati functionum disturbium consequi necesse est, cum vel eo ipso per se jam et ob exinde natum propriae substantiae detrimentum eorum efficientia in exteriores partes impediri, ac denique vanescere debeat.

§. 3.

In arteriosis secretionis organis arteria immediate transit ad vasa secernentia, quae a capillaribus, si officia spectes, nulla alia re differunt, nisi quod sanguinis digestionem conser-

servandi organismi causa alia ratione efficiunt. Admodum quoque verisimile est, illam, sit venia vocabulo, disproportionem, etiam in haec vasa secernentia transire, in iisdemque residere, atque specificam eorundem in exteriores partes efficientiam imminuere eandemque in morbidum statum mutare, quin, sicubi altiorem gradum attigerit, ad eandem infringendam ac penitus tollendam valere.

§. 4.

Oritur ergo, ubi adest inflammatio duratque in secretionis organis, disturbium aut morbida secretionis mutatio non solum sublata proportione in tubis capillaribus, sed etiam in vasis secernentibus *), neque tantum:

1)

*) Vitium illud proportionis semper primario vasis capillaribus inesse, indeque perturbationem in vasa secernentia, secundaria traduci, eo quod functio eorum ab ipsa reproductivarum caussarum debilitatione infestetur, eo minus adduci possum ut credam, quo certiora media specifica in promptu sunt, quibus non nisi in quibusdam vasis secernentibus inflammatio excitatur, sed haec manifeste primum in vasis secernentibus prolici indeque in capillaria transfundi videtur. Eadem prorsus est quovis in organo vasorum capillarium natura; quare specificis mediis non nisi id, quod organo specifici inest, infestari poterit. Isthoc vero specificum in sola vasorum secernentium efficientia situm est. Etsi inficiari nequeam, haud raro inflammationem organi primum a vasis capillaribus prolicisci posse.

1) *directe*, scilicet ob coarctatam a damnosis, quae in eadem agunt, causis vasorum illorum efficientiam, quae sanum sanguinem elaborare nequit, verum etiam
2) *indirecte* ob materiam peccaminosam, qua vis secernens supprimitur.

§. 5.

Ut ut certissime haec omnia de secretionibus arterialibus asseri queant, attamen in hepatis inflammatione restringenda videri possent, cum hepar inter omnia alia organa secernentia elaborando sanguine venoso adeo insigniter differat. At re vera restringenda non sunt. Tametsi enim heic transitus sanguinis in vasa secernentia non ex arteria fiat, sed ex vena, adeoque non arterialis sed venosus sanguis elaboretur, attamen sola posterior haec ratio essentiale discrimen subministrare videtur. Vena portarum minime ex iis venis est, cujusmodi organismum considerantibus alias occurrunt, sed ipsa jam conformatione sua satis liquido ab illis discriminatur. Eam inter et arteriam pulmonalem, quae sanguinem venosum ad pulmones defert, inque iis dispartitur, summa intercedit similitudo. Parietes ejus longe sunt crassiores, firmiores magisque elastici, quam reliquarum venarum, ita ut secta adeo dehiscat pateatque, quod alias non nisi arteriae proprium est. Fortassis haud omnino a vero aberravit *Glissonius*, cum eidem fibrillas musculares sanguinis per he-

hepatem lentius movendi caussa tribuit. Fortasse fibrillae hae musculares oculo minus quam in arteria patent, quae, etiamsi abessent, anne propterea necesse est partem quandam, ut vim muscularem habeat, fibris muscularibus iisdemque visibilibus esse instructam?

§. 6.

Quae cum ita sint, ista inflammationis socia disproportio in vena portarum pariter ac in arteria locum invenire videtur, neque igitur, ut verbis Dr. Marcus utar, arteria in vena inflammata est, quare perturbatio secretionis venosae perinde ac arterialis duplicem habet respectum.

§. 7.

Si, quod physiologorum haud pauci suspicantur, assuminus, arteriam hepaticam, vas illud sanguiferum adeo largum ad hepatem porrectum, non modo ei nutriendo servire, sed et in eadem conditionem, quae ad hepaticam leniorumque forsan bilis elementorum secretionem requiratur, sitam esse, disturbium functionis hepaticae in inflammatione tanto facilius contingere poterit, ejusdemque subita haud raro phaenomena commode jam explicata habentur. Arteriam vero hepaticam re ipsa ad bilis secretionem facere, id enimvero ejusdem et amplitudine et transitu minimorum ramulorum in acinos hepatis, injectionibus affatim demonstrato, satis in tuto collocatum crediderim. Jam vero praeter arteri-

riam hepaticam alios hepar haud spernendae magnitudinis ramos excipit cujusmodi sunt, qui a mesenterica superiore, mammaria interna, epigastrica et phrenica proficiscuntur, eosne illi nutriendo haud sufficere censeamus?

§. 8.

Quod in vasis hepatis secernentibus ac immediate prodeuntibus ab extremis venae portarum ramis arterialis nihil sed venosus tantum sanguis excipiatur elaboreturque, ad mutandam supra datam perturbatae, quae in inflammatione contingit secretionis explicationem nec quidquam valere potest, sanguine scilicet venoso ab arteriali nonnisi elemento quod carbonicum dicitur aut etiam majori quantitate hydrogenii differente. Atqui sanguinis substantia ad quodvis diversorum secretionis organorum meantis, jam per se specialem sibique propriam nacta est indolem, et velut largius inpregnata est elementis suo in organo secernendis. Quemadmodum vero quaelibet secernendi vis cuique organo propria pro substantiae elaborandae diversitate et ipsa diversimodae ac specificae mutationi obnoxia est, idem de vi secernendi, quae hepati inest, tenendum. Sanguini nimirum venoso, indeque efficiendae bilis secretioni congruit, nec, nisi qui vitium traxerit cruor, magis minusve illius industriae ineptus est, damnumque eidem infert. Paucis: solum hepar secernendo sanguini venoso natum, hicque vicissim natus secretioni hepaticae. Eandem

dem igitur ad se invicem rationem habent, quam sanguis arterialis ad arterialia secretionis organa, qua ratione turbata inflammatio cum toto suo comitatu exoritur.

§. 9.

In inflammatione chronica, quae ut plurimum a cachectica aut debili et atonica corporis constitutione, in qua omnes internae et externae functiones a tenore suo declinarunt, caracterem suum desumit, sed pro diversitate organorum et systematum, in quibus grassatur et praecipue serpit, varios eosque speciales modos induit et ad morbide mutandam, si mixtionem spectemus, secretionem, adeoque ad perversam producendam prona fertur. Tam ipsa vis organorum, quam massa sanguinis in iisdem digerendi heic nativam indolem suam amisere, quod si ea accedat disproportio, quam in inflammatione obtinere videmus, turbatus ille status fit luculentior, eoque magis in oculos incurrit, quo magis turbatur ea proportio, quae eandem inter et reliquas functiones vitales fortasse adhuc substiterat. Materia peccaminosa, dominans iam, nec a vi iam per se labefactata haud debite digesta, tanto amplius ubi pergrassetur, organumque destruat nanciscitur spatium. Inflammatio lentius identidem serpens propius adrepit, et ubicumque adparet, deformationes comites habet. Per eam in hepate non tantum secretio bilis, quo ad mixtionem pariter ac copiam variis modis morbide mutatur, sed oriun-

tur

tur etiam ratione nutritionis substantiae hepaticae variae deformationes, quarum in sequentibus uberior fit mentio.

§. 10.

Partialem organi adeoque et hepatis ab inflammatione infestationem fieri posse, ipsa satis confirmat experientia, at facilis est conjectura, eam nonnisi mediocrem esse debere. Id ipsum est in organo, quod inflammatio organi in toto organismo. Aucta scilicet, magis et apertius in viciniam primum tum vero quaquaversum furit, eoquod praecipue systema nervosum et vasorum, quae organorum omnium congruam et reciprocam rationem servant, nexumque organicum continent, morbum localem per se propagent, inque universum organismum transvehant, qui morbi localis reflexus, quatenus per systema vasorum nervorumque fit, febris illa est, quae vehementioribus plerumque inflammationibus sese sociam praebet, quaeque prout malum locale aut per vasorum potius aut per nervorum systema propagatur, aut inflammatoriae aut nervosae speciem exhibet.

§. 11.

Quam igitur §. 1 experientia deprehensam diximus mutationem secretionis organorum inflammationis sociam, eam prout et hujus in secreta vim etiam theoreticis rationibus confirmatam et secretioni hepaticae applicatam

tam videmus, quae vero inde resultant in pauca contracta haec fere sunt:

1) Minus vehementes nec penitius se insinuantes, sed lentiores inflammationes, velut chronica, cachectica et atonica non omnem organorum secernentium vim supprimunt sed secretionem tantum perversam pedisequam habent;

2) Sed vehementiores acutioresque vim illam penitus tollunt.

3) Utrumque et in secretionem hepaticam quadrat.

II.

Fierine potest, ut vera bilis in sanguinem regrediatur, nec ne?

§. 12.

Bilem ut materiam colorificam, coloris flavi in quacumque corporis parte conspicui caussam esse, omnis sibi persuasissimum habuit antiquitas. Eam scilicet plane efformatam sanguini tunc inesse, cumque eodem ad omnes organismi partes deferri opinabatur. Hinc variae de via, qua eadem in sanguinem subintraret, conjecturae.

Opi-

Opinioni illi, scilicet in ictero veram, plenequae formatam bilem in sanguinem reflnere, Dr. Marcus adhuc adhaerere videtur. Vid. ejus Entwurf der speciellen Therapie, Band II. §. 1348, 1359 et 1360.

§. 13.

Antiquioribus temporibus creditum, bilem jam ipso in sanguine gigni, nec nisi hepatis ope ab eodem separari, quam primum igitur hepatem afficeret inertia quaedam, manere bilem in sanguine, atque ita oriri tum vitium hepatis abdomen adficiens tum bilis in eo loco praesentiam, ubi esse minime deberet. Sed quum seriora experimenta eademque accuratiora oppositum manifesto commonstrarint, de viis dispiciendis cogitare coeptum, quibus secreta bilis sanguini commisceretur. Qua de re binae extant opiniones.

§. 14.

Altera bilem per vasa lymphatica resorberi sicque in sanguinem reduci tuetur. Quum vero bilis hepatica viscosior coloreque sit minus flavo, quam in cysta fellea, resorbitionem non in hepate sed in vesicula fellis fieri contendunt. Cui opinioni opponi possunt quae sequuntur:

1) Vasa lymphatica pro ipsa sua indole nihil heterogenii admittere posse.
2) In ictero frequenter hepar et vesica bilis viscoso tantum humore repleta inventa et ne vestigium quidem bilis repertum fuisse.

3)

3) Hepate haud raro in putredinem verso et vesica fellis plane deficiente nihilominus icterum ad fuisse.

Vid. Marcus loco §. 12. citat.

§. 15.

Haller *) et post eum *Richter* **), *Darvin* et *Wrisberg* censuere, bilem quidem resorberi non posse, attamen motu quodam retrogrado in vasis sanguineis ex hepate denuo in sanguinem reverti. Cui illud repugnat:

1) quod ob conformationem et vim arteriarum repulsivam motus retrogradus in iis fieri omnino nequeat;
2) quod materia biliosa hepatis ope in bilem efformata, relictis semel circularis motus orbitis in easdem regredi omnino non possit;
3) quod, siquidem bilis regrediatur, eam certe adesse jam oporteat. Jam vero in casibus ubi hepar destructum, induratum et ad munera sua obeunda plane ineptum erat, nihilominus icterus exortus sit;
4) quod sanguis nullum elementum semel sejunctum adeoque in heterogeneam naturam degeneratum in se recipere possit. Quae admixtio, si fiat, docentibus experimentis symptomata producit longe vehe-

*) *Haller* Grundriß der Physiologie von Leveling, Thl. II. §. 759.
**) *Richters* chirurg. medicin. Bemerkungen. Band I. pag. 54.

vehementissima, quorum in ictero nullum deprehenditur vestigium.

§. 16.

Ex omnibus hisce prono denique fluit alveo, vere efformatam bilem sanguini haud messe posse, nec vias dari, quibus separatae semel bili in sanguinem reditus pateat. Remotissimae igitur partes tantum, quae bilem constituunt, eatenus insunt sanguini, quatenus eidem insunt universi organismi omniumque quas producit formarum prima velut elementorum elementa, quae specifica organorum singulorum vi reproductiva diversissimis consociata rationibus, diversas tum fluidas tum solidas corporis partes constituunt. Qua in re omnium quoque recentiorum chemicorum perquisitiones conspirant, quorum nemini unquam contigit ut efformatam bilem a sanguine separaret.

§. 17.

Quae de singulis remotissimisque bilis elementis docentur, ejusmodi non sunt, ut plene satisfaciant et doctissimorum virorum *Fourcroy* *), *Green*, *Klapproth* **) asserta non nisi propriores partes bilem constituentes respiciunt. *Bercelius* ***) propriam materiam biliosam venditat, a cujus vero ulteriori sepa-

*) *Fourcroy* philosophie chimique, pag. 3.
**) *Green's* Chemie, ed. von Klapproth. Band II. pag.
***) *Bercelius.*

separatione provide cavet. *Green* et *Klapproth* tanquam praecipuas ac specificas partes bilem confingentes pinguedinem ceream et Natrum adhaec materiam aquosam et albumineam admittunt. *Fourcroy* prior jam de pinguinea ejus natura loquitur. Alii auctores vel ut *Blumenbach* *) de carbonica quadam, alii de hydrogenea, alii denique de resinosa quadam ejus indole disserunt.

§. 18.

Omnium verisimillimum id videtur, elementum carbonicum et hydrogenium junctim praecipuas partes, quae biliosam materiam constituunt, conficere; etenim

a) omnes partes constitutivae propiores elementa haec bina velut κατ' εξοχην in se comprehendunt.

b) Bilis e sanguine secernitur praecipue carbonico, et quemadmodum videtur, etiam hydrogenio exsaturato, ita ut hepatis, ubi de sanguine a carbonico repurgando agitur, nec sine ratione, eandem esse conditionem asserant auctores, quam pulmonum. Qua de re fusius infra.

Illud autem per se patet, binas illas partes constitutivas in sanguine venoso haud ea jam tem-

*) *Blumenbach* de gener. human. varietate nativ. §. 44. pag. 126.

temperie esse conjunctas, ut eam in illo materiam, quam proprie biliosam dicimus, sive basin bilis efficiant, sed in hepate primum ea partium illarum temperies fit, ex qua bilis demum prodit.

Blumenbach de gen. human. varietat. nativ. §. 44. pag. 126.

III.

Quomodo fieri potest depositio materiae biliosae in diversis secretionis viis?

§. 19.

Plus quam verisimile est, materiam colorificam, quam in ictero diversis secretionis viis prodire videmus, eandem esse, quam pro basi bilis habemus *), quum elementa ejus remotiora heic ea ratione associentur, quae similis est illi, quam a vi hepatis secernente accepere, id quod admodum verisimile reddunt sequentia:

1) Diminuta vi hepatis activa magis minusve sese prodit materia colorifica.

2)

*) *Girtanner* Anfangsgründe der antiphlogistischen Chemie. pag. 20.

2) Idem depositae materiae, qui in bili cernitur, color.

3) Idem confirmatur gustu. Lingua nimirum tangens superficiem cutis icterici amarorem sentit felleum. Quin ictericus ipse eum sentit nulla etiam praesente in primis viis fece biliosa, impraegnatis haud dubie materia biliosa cavitatibus oris.

4) In regionibus Australibus, ubi sanguis materia biliosa abundare videtur, unde et morbi biliosi adeo sunt frequentes, etiam in sanis alias hominibus cutis magis flavescit. (Confer. §. 31.)

§. 20.

Sed quo demum modo explicabimus hanc biliosae materiae excretionem in vasis secernentibus? Hoc illud est, quod in hunc usque diem haud pro argumenti gravitate satis discussum fuit a medicis, quodque pernoscere tanti nostra interest, si quidem genuinam de ortu Icteri notionem acquirere cupiamus. Etenim tot in examinanda icteri genesi errores ex eo natos crediderim, quod nimium festinanter ea res fuerit praetermissa ab iis, qui morbi illius incunabula ex una tantum parte considerantes sitam in secretionis organis ansam ex oculis amittebant.

§. 21.

Nae is injurius est in organa haecce, qui pati ea tantum, nec quidquam agere in se-

cretione praeternaturali statuit, penetrationemque ejus in mixtionis rationem adeo vehementem impetum esse censet, cui resistere ea minime possent. Nimirum ex eorum opinione materiam biliosam jam in sanguine plene efformatam esse oporteret, cujus opinionis vanitas ex ante dictis patet. Neque enim viva et vi agente praedita pars ulla quidquam producit, quin geneseos rationem in ipsa sua activitate contineat. Sin vero id assumere placeat, materiam biliosam penetrare per vias secretionis una cum materia secreta, aut furtim quasi perlabi, axioma illud manifeste tollimus, producti alieni caussam vi externae tribuentes, quae nullatenus immediate, sed praestituta demum organi vi activa ad producendum quidquam requisita in producti mutationem valere potest. Ubi hujusmodi vi immediatam tribuimus actionem, propriam organi vim impeditam esse, aut fractam necesse est. Sed hoc in ictero nequaquam locum habet, nec nisi in ultima periodo, ubi ad mortem vergit morbus hic, ejusmodi in secretionis organis paralysin admittere licet. Tum enimvero sanguis eadem penetrans per ipsorum effunditur orificia, unde periculosae istae haemorrhagiae sub icteri finem. Cujus paralyseos caussa est nimia materiae biliosae, qua sanguis saturatus est, copia secretionis organa impediens, quo minus eundem rite digerere possint.

§. 22.

§. 22.

Licuerit igitur nobis admittere in secretionis organis propriam in secernenda materia biliosa conditionem, eandemque in morbida vi collocare, specificam eorum vim magis minusve coarctante, atque hoc pacto a natura eorum alieni quid producente *). Certum quidem et indubitatum vim illam affectam a nimia, qua sanguis repletur, biliosi elementi copia prolici posse et plerumque re vera prolici, sed et error esset, in sola hac oppletione caussam vis illius malignae quaerere, eoquod ictericas affectiones animadvertamus, ubi tantum abest, ut elementorum biliosorum abundantia inveniatur, ut potius manifesta immo ea sit illorum penuria, ut ad separandam puram bilem hepati minime sufficiant, quae propterea in mucum abiens nullius fere saporis est. Secretionis igitur organa heic aliunde afficiuntur, morbosaque eorum praecipue, quae cuti insunt, mutatione icterus exsistit, quin elementa biliosa sanguini permixta quidquam ad malum conferant.

§. 23.

Quod, posita licet receptione elementi biliosi, secretio tamen quaelibet specificum originariumque caracterem suum quodammodo servet, id tribuendum ei momento, quo id, quod in organismo est legi consonum, illud exsuperat, quod eidem repugnat. Tam universus organismus, quam singula organa

*) *Blumenbach* loco citat.

gana id unum continue agunt, ut sese suamque individualitatem conservent tueanturque, quae utcumque hostiliter infestata ita nunquam opprimi poterit, quin quibusvis in organismi mutationibus remote saltem transpareat. Tam necessitas unius organi in organismi oeconomia, quam illius cum aliis partibus nexus, quae quidem uniformi ejus activitate plane carere nequeunt, quoad usque fieri potest, dominium suum exercent in id, quod praeter naturam est, et ubi hoc vicerit, organismus primum non nisi particulatim, tum vero totus collabitur.

§. 24.

Quod si perpendimus in pluribus horum organorum secernentium, nominatim in secretione cuticulari et urinaria jam approximationem quandam ad hepaticam secretionem eatenus sitam esse, quatenus in secretis et excretis elementa biliosa continentur, tanto fiet clarius, quomodo eorum vis velut ad adjuvandam elementorum biliosorum digestionem destinata, tam facile hoc respectu morbose affici queat. Immo arguere licebit, inesse iis conatum quendam supplendae quodammodo functionis hepaticae, iisdemque attribuere magis insignem actionem reciprocam, id quod Blumenbach *) de cute jam dudum opinatus est. Sane, si ullibi, hac in re praecipue usum habet notio vis vicariae, quin periculum sit, ne ex eorum schola esse videamur

*) *Blumenbach* loco citat.

mur, qui hac notione abutuntur et variarum recitatione fabularum rem, quae tantum veri habet, deridendam propinant.

§. 25.

Si quaeras, qua potissimum ratione materia biliosa egrediens in cute praecipue visibilis fiat, varie varii auctores respondent. Blumenbachii opinio est *): Carbonicum hydrogenio junctum ac oxygenio cedente *acido* aeris atmosphaerici in cute, maxime vero in ea parte, quae rete Malpighi dicitur, praecipitari, inque ejus mucore subsidere. Quod quidem ita se habere posset, nisi illud obsisteret: rete istud Malpighianum nuspiam adhuc esse repertum et nostris temporibus, utrum existat in rerum natura, valde dubitari **). Verisimilius est, quod secundo loco suspicatur, ipsam scilicet vasorum vim in deponenda et praecipitanda materia biliosa cooperari. Sed, siquidem meum hac de re judicium ferre liceat, ne hujusmodi quidem praecipitatione opus est, quod materia bilis eadem plane colorifica praedita indole, qua in hepate per secretionis organa protrusa mediante exhalationis processu ad omnes cutis vel minimos poros omnesque reliquas corporis partes ita propagetur, ut easdem quasi penetret ac intime pervadat. Si oxygenium, quod inest aëri atmosphaerico necessario ad id

*) *Blumenbach* loco citat.

**) *Rudolphi* hoc dubium movebat, cum ejus acroasibus Berolini operam darem.

id requireretur, qua demum ratione in abditissimis corporis partibus immo vel ipsis in ossibus neutiquam cum aëre atmosphaerico immediate communicantibus praecipitatio locum habere posset? Sin vero in cute ejusmodi praecipitationis processum admittere velimus, plus certe calori et lumini, quam ulli alii elemento efficientiae tribuerem, quum vel jam tum lumen ipsum tantam in colores vim exsecat, et icterici lumini magis expositae partes flavedine obscuriore tinctae appareant. Nigricans totius corporis color a nimia carbonici copia repetenda videtur, quae aeque major, vimque organorum secernentium superans, ab iis recipi et excerni nihilominus postulat. Ceterum qui e prodeunte majori minorive carbonici quantitate diversitatem colorum, quae species hominum distinguit, deducere vellet, viderit, ne extra, quod ajunt, oleas.

IV.

An secretione hepatis minime suppressa abundantia bilis in sanguine nacsi poterit?

§. 26.

Quam verum una ex parte est, suppressa materiae biliosae secretione elementa ejus in san-

sanguine accumulari et ad icterum disponere posse, tam certa quoque confirmatur experientia, integra plane secretione hepatica, eam nihilominus elementorum materiae illius abundantiam in sanguine nasci posse, immo vel aucta hepatis activitate adesse. Sed quomodo hujus phaenomeni ortum explicabimus? — Duplex nostra ex sententia ejus est caussa:

1) Aut enim justo largior materiam felleam constituentium elementorum copia in organismo variis rationibus partim in structura, partim in efformationis processibus altius in illa fundatis, partim a variis internis externisque conditionibus producitur, aut

2) aliae dantur secretiones, pariter ad elaboranda materiae biliosae elementa destinatae, quaeque plus minusve suis in functionibus impediantur turbenturve, ut adeo disproportio quaedam ipsas inter et hepar, quocum reciproce agunt, exsistat.

§. 27.

Primum quod attinet gignendae superfluae in organismo elementi biliosi copiae difficilis inventu est ratio satisfaciens, quum nec in mixtionis proportiones, nec in vivi organismi oeconomiam tam profunde penetraverimus, ut, quas diversae actiones vitales in illo sibi deposcunt, materiae mutationes, vimque externarum et internarum in eundem agentium caussarum exacte determinare valeamus.

Quod

Quod vero conditiones spectat superfluae istius modi productionis materiae biliosae, experientia docemur spirituales, ut ita dicam, vires, animique vehementiores diutiusque perseverantes motus, calorem, aestivum tempus, ardoremque solis in calidis climatibus, fortasse et specificam atmospherae indolem illi favere.

§. 28.

Quod ad secundum, *exsudatio cuticularis* cumque hac *telae cellulosae exhalatio aliarumque corporis partium*, *secretio urinaria* et *functio pulmonum* ea negotia sunt, quorum major minorve seu coarctatio seu perturbatio abundantiam elementorum biliosorum in sanguine adjuvare videntur. Saltem experti scimus videmusque mirabilem inter illa activitatem reciprocam. Altera continuo alteram iniqua forte peristasi ad otium damnatam compensare conatur. Jam §. 24. mentionem fecimus officii hujus vicarii et nunc nonnullorum tantum phaenomenorum refricabimus memoriam, in quibus illud aperte cernitur. Ita in calidioribus regionibus annique temporibus secretionem carbonici in cute auctam videmus suppressa magis functione pulmonum. Porro horum secretionem augmentatam turbata functione hepatis, quin immo hepar impedito pulmonum officio morbis aliisve peristasibus quoad ipsam suam massam grandius inventum fuisse dicitur. Jam vero quanta est vel ipso in foetu illius magnitudo

dor-

dormiente licet adhuc pulmonum functione. Quid? quod in regionibus calidioribus, immo et in nostris vergente ad autumnum aestate facile morbos hepaticos et polycholiam oriri videmus suppressa per refrigerationem secretione cuticulari? Quae prout urinaria, suppressa in ictero functione hepatica, praeprimis negotiosa cernitur.

Blumenbach loco citat.

§. 29.

Cujus actionis vicariae causa nulla alia in re sita est, quam in ante laudata horum organorum affinitate, quae major minorve in functionum aequalitate deprehenditur (vid. §. 24). Toti scilicet huic triadi secretio elementorum biliosorum, quae sanguis vehit, demandata est. Quorum, si qua ob impeditam unius alteriusve affinium istarum secretionum activitatem adest nimietas, effugium ibi praecipue quaerunt, ubi aditus jam patescit. Tam ipsamet elementa, quam ejusmodi excretionis organismo nata necessitas vim secernentem in organis illis ita disponit, ut haec tanto commodius illa recipere queant, eademque ratione collecta protrahant, qua in bili unita videmus.

§. 30.

Pulmones, ut nuper Experient. *Creve* *) admodum verisimile reddidit, praecipue re-

pur-

*) Creve über den Chemismus der Respiration.

purgando a carbonico sanguini, fortassis et, quod nonnulli auctores suspicantur, ab hydrogenio destinati, facile ad eum statum redigi possunt, qui legitimam carbonici secretionem spectata ejus quantitate impediat. Tam morbi pulmonales *), quam conditio atmospherae minori oxygenii copia impregnatae, quam ad recludendam debitam carbonici copiam in pulmonibus necessaria esset, aequalis ea in re momenti sunt. Esse autem jam dictam aëris indolem praesertim in regionibus calidioribus extra fere dubitationis aleam est, quum vel apud nos, in aestate paulo fervidiore homines et animalia praecordiorum sentiant difficultatem, et quam maxima celeritate respirent, ut oxygenii defectum respirandi frequentia compensent. Sed et slavedinis recens natorum infantium caussa in functione pulmonali ad nativitatem usque otiosa quaerenda videtur. Quae si congruam sibi agendi vim haud statim a nativitate consequatur, idipsum frequens forte caussa est *icteri neonatorum.*

§. 31.

Impedita hoc modo functione pulmonum activitas cutis et hepatis jam per se majorem adipisceretur intensitatem. Adde vehementem regionum tropicarum aestum, quem gignendo calorico praecipue favere novimus, quemque nemo non scit ad promovendam acti-

vi-

*) Quid ? quod in phthysi pulmonali haud raro icterus exsistit.

vitatem cuticularem quam plurimum valere, unde consequi necesse est, ut elementa biliosa secretionem cuticularem imprimis sollicitent, ab eademque, ut recipiantur, impetrent. Existunt hic velut icteri primordia quaedam, flavaque cutis populorum australium, et quodammodo apud nos aestivo tempore. Sudor certe noster flavedine tingit linteamina, cute licet minus flavescente. Functio hepatis sub haec icteri principia aucta potius, quam imminuta est, quod idem ex subrepente per aestatem ad polycholiam propensione apparet, quae in regionibus meridionalibus facilius radices agens, illi hominum generi caracterem temperamenti colerici imprimere solet. Hinc etiam fit, ut sub autumnum, quo cutis exsudatio facile supprimitur, frequentiores nascantur febres biliosae. Quod vero haec icteri quasi primordia veri speciem morbi non habeant, in eo haud dubie situm est, quod mutationes in viribus secernentibus factae haud tanti adhuc momenti sint, interque eas uniformis quaedam subsistat proportio. At vero corpus omnino ad icterica mala disponit.

Blumenbach loco citat. pag. 126.

§. 52.

Evolvitur quoque dispositio haec quam primum inimica quaedam vis aut in atmosphera aut in contagio sita, aut aliud quidquam affinium illarum functionum rationem ho-

hostili invasione perturbat, quo fit, ut crescens quoque elementorum biliosorum copia justo vehementius tam in secretionem hepaticam quam in cuticularem retroagat. Tum enimvero biliformis redditur posterior haec, et materia biliosa in ea evidenter apparet. Hepatis, ob irritationem sanguinis elemento felleo repleti primum augetur activitas, tum vero nata fex biliosa biliosum eumque frequentiorem vomitum ciet. Jam si novis identidem elementorum biliosorum incrementis praegravetur sanguis, nec momentanea functionis haec elementa secernentis gradatione portio eorum ad regulam reducatur, hepar violentiore continuo eorundem impetu, vitiosaque nervorum, quam praeteritus status in reproductionis nervis suscitaverat actione facile in discrimen incidit, in quo vis ejus sanguinem digerens massae ejusdem, perversaeque indoli succumbit aut, ut aliter dicam, inflammatur.

§. 33.

Eodem modo verisimile est nasci *Febrim flavam*, quam eadem ex ratione facile comitari poterit inflammatio hepatis, eam vero id circo solam flavedinis cutaneae caussam esse et nimietatis elementi biliosi in sangine minime necesse est, quamvis exoriens abundantiam illam adaugere debeat. Atmosphaera, sed praecipue contagia ex antiquorum sententia, et quod Nob. ab Hildenbrandt *) recentiore aevo

*) *Edler v. Hildenbrandt* über den anſteckenden Typhus.

aevo acutissime demonstrat, primario tantum vim suam in cutem exserunt, sicque pariter in hac primum nimietatis elementorum biliosorum quasi fundamentum eatenus jaciunt, quatenus miasma illius functionem primum invadit, ad idque determinat, ad quod jam per se se fuerat disposita. Huc accedit altior ille caloris gradus, qui hac in febri sentitur, ubi elementa biliosa magis redduntur volatilia, tantoque ad id aptiora, ut in propriis secretionis viis secerni queant. Inflammatio hepatis heic tantum secundaria est maxime ubi morbus e contagio oritur; nulla enim inflammatio hepatica tanquam primario e contagione orta concipi potest. Sed profecto nec illud negandum, aliis specificis potissimum epidemicis et endemicis caussis inflammationem hepaticam primario provocari, atque hoc pacto febrim flavam produci posse. Quod si fit, flavedo cutis perfectam demum inflammationem sequitur, hujusque signa illam parvo licet temporis intervallo praecedunt. Ubi tunc antiphlogisticorum remediorum usum praecipuum esse per se patet.

§. 34.

Sed dantur etiam omnino febres nervosae, absque ulla hepatis inflammatione, et in quibus icterus a sola cute pendet, quam in febribus nervosis tam variis modis affici videmus. Functio cutanea morbidae nervorum actionis vitio adeo in pejus mutata videtur, ut omnem elementorum biliosorum summam,

mam, antequam illa ad hepatem perveniant, ad sese rapiat, adeoque nonnisi insipida ac mucosa bilis secernatur (vid. §. 22.) quod idem et in ictero typhode subinde contingit, forsitan et in febri flava absente omni inflammatione hepatica, ubi aegroti remediis irritantibus convalescunt. Quo in casu stadium flavae febris inflammatorium a medicis irritamenta adhibentibus oblivione praetermissam esse *), vix credi potest, quum neminem lateat, quantum epidemia saepe ab epidemia differat, et pro aegrotorum diversitate diversas facies exhibeat. Quod si stadium febris illius inflammatorium omnino neglectum fuisset a medicis, credamusne remediis irritantibus tot aegrotos servari potuisse?

§. 35.

Sed et alias morbosas hepatis affectiones seclusa inflammatione, maxime vero spasmos (vid. §. 39) perturbatione secretionis biliosae, causas cooperantes febris flavae esse aut certe corpus ad eam disponere posse, prona est conjectura. Spasmus heic praecipuas mihi partes agere posse videtur, utpote eorum praecipue morborum comes qui in morbose mutata nervorum functione cernuntur, idque eo magis, quo plures reperiuntur spasmis obnoxii. Quid si Opii in febre flava plerumque cum Mercurio dulci adulterati ob vim antispas-

*) *Marcus* Entwurf der speciellen Therapie. Band II. §. 1383.

pasmodicam potior fuisset, quam hujus efficientia? Posse vero ex spasmo oriri inflammationem, atque in spasmodico flavae febris symptomate procedente morbo facile locum invenire, ea de re latius agemus in sequentibus.

V.

An soli hepatitidi imputanda suppressio secretionis et excretionis biliosae?

§. 56.

Cur in sola hepatitide turbatae secretionis hepaticae indeque nascentis icteri caussa quaesita, nec nisi ex una parte in ipsa morbi tractatione res considerata fuerit, minus in explicabile videbitur inflammationis notionem eo usque extendenti, quo Exp. D. Marcus eam extendit, sub cujus, quam dedit, definitione tot phaenomena organismi morbosa comprehendi queunt, quibus secundum limites semel statutas eum tribuere caracterem vetamur. Novum inflammtionis genus qui creare volet, parum recte legitimae ejus definitioni adeoque nec utilitati consulet. Ea enim ratione facile morbi confundi possent, qui vel ex eo capite conciliari recusant, quod natura per se in phaenomenis suis adeo sit

varia, ut limitibus iisdemque tam arctis coërceri se haud patiatur. Quam vero facile consectiones ex theoretica contemplatione tractae, praxi sola experientia nixae damnum afferre possent! Verumtamen hac de re sat sapienti; neque id agimus, ut Exp. viri, cujus tanta sunt merita, hoc in examine sententiam fuse refutem maturioris et doctrinae et experientiae viris id negotii relinquens, quod et argumentum susceptum jam, ni vehementer fallor, et tentatum est a nostris auctoribus. Id unum mihi propositum est, rem ex ea parte spectandam exhibere, qua ab optima rerum arbitra experientia mille modis confirmatur. Quae in antecedentibus de inflammatione universim attuli, meditationibus clarissimi dignissimique Viri D. Assessoris Mende accepta refero, eoque magis probata videntur, quo non tantum facilius et naturae simul ac captui accommodatius rem explicant, sed et, quod rei caput est, cum optimorum auctorum explicandi modis perfectius consonant.

§. 37.

In memoriam revocantibus superius datam inflammationis notionem haud difficile erit perspectu, heic impedimentum secretionis biliosae quam luculentissime patere, quod illius officinae vasa scilicet sanguinem advehentia et secernentia immediate correpta reciprocam suam amiserint harmoniam, id quod eorum efficaciam in morbidum statum redigit atque coarctat. Attamen existere possunt et

aliae

aliae conditiones functionem turbantes hepaticam, quae deinde perturbatio in aliis vitae functionibus cernitur. Loca illa, ubi organum impugnari potest, modusque quo impugnatur, nimis sunt diversa et quatenus hepar non solum ex complexu vasorum et canalium consistit, aliae quoque disproportiones in reliquo eorum organismo nasci possunt, quae inflammationem quidem nullam producunt, attamen rationem, quam vasorum systema ad reliquas efformationes systematicas in organismo notas habet, ita tollere queunt, ut illud, utpote quod nonnisi debite cum reliquis connexum legitimam suam regularemque activitatem servare potest, in functione sua impediri turbarique necesse sit.

§. 38.

Nunc igitur quaedam tantum phaenomena in hepate morbosa, quorum praesentia magis minusve turbare ejus functionem et icterum producere posset, propius considerabimus. Posse vero contingere turbationem ejusmodi tam theoria quam experientia evidentissime demonstratur; quin assumere licet, icterum frequentius ex uno alterove eorum, de quibus acturi sumus, hepatis vitio nasci, quam ex hepatitide, quin hac ipsa praesente, illum quandoque omnino deesse *) experientia docet.

*) Quod et Expert. D. Marcus concedit. Quum enim §. 1407 et 1413 dicit: „Animadvertimus „suppurationes satis notabiles et obstructiones „(Ver-

cet. Saepe etiam in eorum, quae hanc sequuntur, comitio primum comparet. Remotam heic praesentiam admittere nullo modo datur. Quod vero inflammatione icterus non appareat, a celeri illius decursu, exiquoque nonnunquam ambitu, ut recte animadvertit Expert. D. Marcus *), repetendum, ubi hepatis functio brevi tantum tempore, aut exiquo tantum loco turbatur. Phaenomena hepatis, quae praeter inflammationem etiam icterum progignunt, haec sunt:

§. 39.

I. *Spasmus.*

Spasmi in ea parte hepatis, quae, si sensibilitatem irritabilitatemque spectes, ab officio deviat, ratio sita est, atque in hominibus sensibilis, nervosae agilisque constitutionis sat certo frequentissima eat icteri caussa. Systema nervorum filare praeprimis ibi correptum videtur, idque aut mediate aut immediate eo scilicet translatis aliorum systematum or-

„(Verhärtungen) in hepate oriri absque ullo „maxime quod priorem attinet, vel minime in„flammationis, quam procedere necesse fuisset, „indicio, aperte largitur, icterum haud semper „comitem esse hepatitidis quae secundum Ex„pert. Viri theoriam in ictericis phaenominis „necessario sese manifestare debuisset, idque „eo magis, quo major est ratio arguendi ex „ambitu vomicae totius hepatis inflammatio„nem."

*) Marcus §. 1360 – 61.

organicorum affectionibus morbosis. Ubi vero systema gangliare simul affectum est, spasmus, indeque natus icterus saepe fit periodicus, quemadmodum in febri intermittente. Vasa secernentia in spasmo magis minusve obstruuntur, atque ita secretio supprimitur. In obstinaciore spasmo facile oritur inflammatio, turbata aut sublata etiam proportione legitima, quae sanguinem et activitatem vasorum intercedit, unde nimirum sanguinis stagnationes ejusdemque ad coagulationem propensio deficiente debita ejus digestione exsistunt. Experientiam si consulas, jam dictorum locupletissima testis erit. Posse autem revera solius spasmi peccato functionem hepaticam turbari, quavis in obvia therapia velut res adeo explorata praestruitur ut tam antiquiores quam recentiores medici in omni fere icteri genere remedia antispasmodica commendent, immo omnium esse efficacissima asseverent, ubi alia icteri caussa reperiri non posset. Sed quam nociva sint antispasmodica, maxime illa tantopere laudata Asa foetida praesente inflammatione, neminem certe latebit.

Strak observat. de febrib. intermittent. Lib. III. c. 2. de ictero ex febr. intermittente.

§. 40.

Ad spasmi hujus generis hepatici caussas pertinent praecipue eae, quae ab animo proficiscuntur ejus scilicet omnigeni motus et affectus: ira, terror, indignatio, invidia, solli-

ci-

citudo, moestitia, fortasse et gaudium subitum atque vehementius. Ejusmodi irritamenta praesertim per nervum sympathicum tantam in hepar vim exserere videntur. Forte etiam contagium et specificum aeris temperamentum spasmum ciere poterunt. (vid. §. 35.) Caloris quoque ac frigoris vicissitudines, potus frigidus, totius corporis concussione *) haud raro spasmum procreant, prout et calculi fellei vesiculae, maxime si mobiles fiant, aut ductus etiam biliferos subintrent **), ubi tunc natus in ductibus hisce biliferis spasmus per totum hepar sese extendit. Interdum et inflammatio subsequitur, sed non semper, ut Expert. Dno. Marcus placuit ***). Quin et ex venenis, praesertim ex virulentorum et innocuorum animalium morsu icterus nasci, inventus est, qui, quin spasmodici ingenii fuerit, dubitari fere nequit.

Verisimile et illud: pluries a sanguine elementis felleis nimium onerato spasmum etiam

*) Noveram Berolini artis medicae studiosum, qui lapsus ita ut podicem vehementius ad terram affligeret, icterum contraxit, et solius Asae foetidae ope sanitatem recuperavit.

**) *Richter* medicin. chirurg. Bemerkungen.

***) *Marcus* §. 1683. Cum aliquando Berolini in theatro anatomico organa hepatica et fellea cadaveris icterici praeparanda ut dicimus accepissem, cystam felleam alculis repletam inveni, satisque amplum calculum in ductu choledocho, quin hepar ullum inflammationis vestigium ostenderet.

etiam procreari et dispositionem ad icterum augeri.

Si sint in hepate calculi, iidemque mobilis fiant, vehemens inflammatio et suppuratio nasci solet *).

§. 41.

Aliarum caussarum, quae potius per systema gangliare cum systemate filari nervoso communicare videntur, ubi utraque conditiones saltem spasmi suppeditant, praecipuae sunt: Sordes gastricae, praecipue ventriculi et duodeni, vermes, meconii in neonatis detentio, succi gastrici acredo, medicamina acria et drastica, inflammationes, suppurationes obstructiones in aliis abdominis organis eorundemque deformationes, febres intermittentes, spasmi hypochondrici et hysterici, affectiones systematis genitalium, pressio hepatis in gravidis &c. In censum quoque veniunt capitis laesiones, totius corporis concussiones et calculi fellei, sanguis carbonico nimio impregnatus &c.

§. 42.

II. *Atonia, laxitas et debilitas hepatis.*

Caussa earum proxima haud dubie sita est in interrupta systematis gangliaris activitate, utpote ejus in hepate systematis, quod propriae ejus conservationi, congrue munus nutritionis administrando praecst. Quo quidem

*) Marcus §. 1383.

dem negotio haud prospere nec ex aequo succedente, organum functioni suae externae desse necesse est. Ut omnes functiones, quamvis haud omnino omnem harmoniam reciprocam amiserint, ita et haec omni energia destituta fit remissior languidiorque. Ipsaque non raro hepatis substantia marcescit. Aucta nimium in organo, quacumque demum inimica vi id fiat, copia sanguinis et debilitata quae ad illum digerendum requiritur, efficacia, oritur inflammatio, quae orta, ut plurimum in paralysin et sphacelum transit, quatenus vero ob deficientem functionem energiam sanguis ab elementis felleis non satis repurgatur, facile icterus exsistit. Quod sanguis nimia elementi biliosi copia praegnans, tunc non semper morbose in hepar reagat, cuidam apathiae gradui tribuendum, quae adeo facile atoniae se sociam jungit. Quod ad caussas atoniae hujus attinet, omnes illae huic in censum veniunt, quae inimicam in hepar vim exserentes illius functiones turbant. Conferantur ea, quae §. 40 et 41 attulimus. Iis adnumerari etiam queunt variae vires mechanicae, et violentae hepatis laesiones, cujusmodi sunt tunsiones, et verbera, hypochondrio dextro impacta, pressio intestinarum et deformatarum abdominis partium, in hepar aut in vasa eo perducentia et ramos nervorum, arteriae hepaticae aneurysmata et quae sunt cetera.

§. 43.

§. 43.

III. Diversa, quæ hepar constituant systemata originaria reciprocam harmoniam amiserunt, cujus phaenomeni caussa proxima itidem dubium non est, quin in turbata systematis gangliaris harmonia quaerenda sit, cujus officium ubiquae limites intimamqe organicae efformationis consonatiam determinat. Illud vero hepatis vitium quodoque sero sequitur inflammationem quae jam praecesserat. Duplex autem habita disharmoniae diversorum systematum originariorum ratione dari potest casus:

1. aut unum eorum in reliqua dominatur,
2. aut ejus extensio morbose imminuta est.

Quod primum attinet; frequentissime telam mucosam, nimis extensam invenimus, ita ut hepar tunc quoad substantiam suam majus appareat. Contra in posteriori casu volumen illius haud raro imminutum cernitur. Ubi post mortem hepar vietum et friabile repertum est, verisimillimum est vitium in dictis systématibus constitutivis, eorumque ad se invicem ratione mali causam fuisse. Quod affectiones hepatis catarrhales, rheumaticas, arthriticas ac scrophulosas spectat, singula quoque ejus systemata constitutiva prae, ceteris patiuntur; ordinarie tamen, eo quod systema vasorum tam facile in morbi partem trahitur, magis minusve inflammatorium caracterem assumunt. Malum non raro atonia hepatis sequitur.

§. 44.

§. 44.

Inter frequentissimas, certissimas maximeque insignes turbatae secretionis hepaticae causas praeter inflammationem sunt *deformationes hepaticae*. Numerosus est earum exercitus, atque observatori tam clare patent, ut nimirum sit, quomodo earum plures oculum effugere quiverint. Complures et fortasse plurimas praecedenti infllammationi originem suam debere, id quidem dubio vacare credo, sed ideone icterum serius ex ea natum immediate cum illa connectere possimus, ac dicere: hanc inflammationem et illum icterum unum eundemque morbum esse? Neutiquam, est enim ἀδυνατον. Inflammatio enim heic non est nisi conditio remota, non vero causa icteri proxima. In omnibus hisce deformationibus inflammationem ad huc perseverare, aut ab iisdem icterus eatenus tantum gigni, quatenus novam inflammationem provocant et nutriunt *), quo tandem experimento id probatum dabunt.

§. 45.

Venio ad deformationes ipsas. Iam in ipso uteri matris prima earum quasi semina adesse poterant, aut sequiori aetate a variis infaustis peristasibus producuntur. Posterioris generis deformationibus, quae sunt frequentissimae, icterus eo tantum pacto nasci posse videtur, ut per eas primum insignis et subitanea harmoniae turbatio in organicis officiis prae-

*) Marcus, §. 1379, 1383 et 1384.

praesertim in secernendae bilis negotio fiat. In priori vero ipsa natura per successivae intervallum evolutionis, quae desunt, aliis partibus supplere, aut intensiore aliarum virium officiositate compensare, omnemque inaequalitatem exaequare conatur. Plura vero ex vitiis acquisitis hepatis ejus indolis sunt, ut nonnisi quandam ad icterum dispositionem in corpore efficiant, quae irritata deinde a maleominata quadam vi externa facile in icterum erumpit. Sunt autem speciales deformationes hepaticae quae sequuntur.

§. 46.

1) *Hepar cum reliquo corpore collatum, exile nimis invenitur.*

Quod vitium congenitum aeque ac acquisitum esse potest, obstante scilicet utrimque nutritioni hepatis impedimento quodam, cujusmodi est e. g. pressio, sub qua aut hepar totum, aut vasa, nervorumque ejus rami majores, a quorum regulari officio plus minusve illius pendet existentia, laborant. Hepar hoc casu saepe totum marcessit. Quod si §. 43. memorata diversis in systematis adsit dissonantia, facile inde hoc hepatis vitium oritur.

§. 47.

2) *Suppuratio hepatis.*

Pus aut in vomica quadam ipso in hepate nata aut ex aliis partibus, velut ex pul-

mo-

monibus, ventriculo, abscessibus externis, qui intus sibi ductus fistulares parant, in illud descendunt. Vomica quandoque hepatis exterius sese aperit. Quin totum nonnunquam hepar nil nisi vomica fuit *).

Suppurationis ipso in hepate caussa semper in praecedente ejus inflammatione quaerenda est. Ubicumque nimirum haec in organo certum vehementiae gradum attigit, maxime in succulentis robustisque corporibus vis vasorum capillarium plastica non propria tantum efficacia, sed simul a digestionis objecto, sanguine, jam quasi praevalente, regitur, atque ita producitur medium quoddam, quod partim materiae, vi organicae subterfugere conanti, ortum suum debet, partim vi vitali, quae, licet materiam illam haud omnino vincere queat, attamen suum in hanc imperium ita retinet, ut formam, vicinis partibus quam minime fieri potest noxiam, induere cogat. Jam vero medium illud, quod producitur, *pus* est, et vitalis actio, eo quo dixi modo coercita, *suppuratio* dicitur.

Atque pus istud, quum praesertim e sanguine venoso exsistat, indolis est plane singularis. Raro album est, benignumque, sed hepatici coloris, facile in putredinem abiens, ingratissimum odorem assumit.

Quatenus vomica majorem minoremve hepatis partem occupat, aut locum tenet plus minusve functioni ejus faventem, secretio quoque

*) Vid. Marcus §. 1410.

que biliosa magis minusve impediri aut etiam tolli, et icterus produci potest. Experientiam rursus apello.

§. 48.

3) *Indurationes hepaticae.*

Ut Suppurationum sic et harum in quadam. quae praecesserat, inflammatione, ratio sita est, suntque fere frequentissimae icteri caussae. Inflammatio vero illa plus minusve vitiati caracteris est, qui in corporis vitiosa constitutione, cachexia scilicet et cacochemia quam facile evolvitur, tumque chronica et serpens fieri solet. Nimirum cachexiae vitio processus nutritionis et formationis a via declinat; partes nihilominus formam externam internamque quodammodo tueri videntur, eoquod conformatio corporis originaria ejus, quod deperditum est, restitutionem, quod formam spectat, debitis limitibus coërceat. Quamprimum vero ipsa illa confirmatio ab inflammatione turbatur, vis ei restituendae inserviens non nisi eatenus agere potest, quatenus id sinit impressus caracter morbosus, nec pars inflammata jam puram atque inperturbatam constitutionem servare poterit, contra vero vitiosam admittet morbi naturae conformem. Hinc tota illa deformationum turbā inflammationem sequitur, hinc stagnationes, exsudationes, obstructiones, tumores, fortassis et hydatides vermesque, scirrhus et cancer &c. De nonnullis eorum mox sermo erit.

erit. Casus, in quibus hepar friabile aut acri tabe consumtum integris saepe ductibus hepaticis inventum est, a deformante ejusmodi inflammatione plerumque repetendi sunt.

§. 49.

4) *Exsudationes lymphaticae atque concretiones.*

Haud raro in hepate inveniuntur ita quidem, ut hepar aut cum aliis organis firmiter cohaereat, aut ejus substantia vasaque lympha coagulata sint repleta. Creberrimae sunt concretiones tam ductuum biliferorum ipso in hepate, quam ductus choledochi et cystici. Post inflammationem enim adhaesivam conglutinantur atque ita excretionem impediunt biliosam, unde bilis stagnationes gignuntur et secretio hepatica turbatur. Non raro exinde hepar aut inflammatur aut indurescit aut fistulosum fit. Sed et nimia bilis accretione in ductibus biliferis hi rupti inventi fuere. Saepe etiam incrassationes in ductuum biliferorum parietibus obstructionis caussae sunt.

§. 50.

5) *Tumores.*

Subinde magis in substantia hepatis inveniuntur, subinde magis superficiem occupant; quandoque molles, quandoque duri, scirrhosi, saccati, quandoque pulmonum tuberculis simillimi. Saccati diversis materiis repleti et mirae magnitudinis reperti sunt.

§. 51.

§. 51.

6. *Hydrops saccatus et hydatides.*

Hae aut singulae aut in saccis prioris magno numero inveniuntur accumulati. Vermes in hepate haud fuisse repertos ferunt, sed certo certius nonnunquam insunt, quemadmodum eos aliis in animalibus praesertim in ovibus perspicue videmus. Hydatidum ortus maxime praevalenti telae mucosae et propensioni organismi ad aquosas congeries tribuendus esse videtur. Quum nimirum heic partes textus mucosi singulae a reliqua massa organica sese divellunt, et contenta in iisdem aqua modo majores et intervallo quodam a se sejunctas, modo plures continuasque bullulas format, et divulsae licet ab immediato nexu organico nonnihil tamen vivarum virium partes illae retineant, quae iisdem propriam formam tribuunt, et quarum ope non modo perseverare sed et propagari queunt. nascuntur hydatides, propria quam ex se se habeant, subsistentia carentes, ut qui extra vivum corpus degere nequeant.

§. 52.

7) Inventa quoque in hepate *Concrementa calcaria* sat ampla, quae ab arthritico morbii ingenio originem ducere verisimile est, quo materia ossea contra organismi leges haud ad quas pertinet partes devehitur. Sed et senectus, quae abundantia elementorum terrestrium sanguinem onerare videtur, irregu-

laris

laris ejusmodi secretionis ossicularis caussa est.

§. 53.

9) *Aneurysmata arteriae hepaticae aut venae portarum varices* haud profecto ita sunt inter ἀδύνατα ut subinde adesse nequeant. Eorum jam in antecedentibus facta est mentio. Varicibus venae portarum regulari bilis secretioni valde posset noceri, idque immediate.

§. 54.

Atque hae fere sunt praecipuae in officina bilis deformitates, unde, siquidem satis sint magnae, perturbata bilis secretio prodire potest. Nimius essem, si eas, quae minoris momenti sunt, commemorare vellem. Quae heic silentio premo, in anatomia pathologica reperiuntur, maxime in iis, quae Portal, Meckel, Ludwig, Voigtel, Conradi aliique his de rebus scripsere.

VI.

Quae ex praecedentibus disquisitionibus de icteri ortu sequuntur?

§. 55.

Juvat, haic in pauca colligere ea, quae ex praecedenti disquisitioni sequuntur, et comparare ex ordine diversos, quo icterus exsistere possit, modos, quo vividior fiat attentio ad discrimen, quod eum inter et hepatitidem invenitur. Id quod nos ad certiorem verioremque icteri notionem stabiliendam deducet, cujus in sequentibus brevis redibit mentio.

§. 56.

Ex iis, quae de icteri ortu diximus, planum fuit, non semper veram elementorum biliosorum, quibus impregnatus sit sanguis unicam eandemque necessariam esse mali illius conditionem, corruitque vel ex hoc solo capite tota illa theoria: icterum non oriri nisi suppressa secretione hepatica. Quid Expert. D. Marcus ea de re sentiat, haud facile ex collata cum ictero hepatitide apparet. Modo enim loquitur de exsuctione bilis e cysta fellea, modo de suppressa per inflammationem secretione hepatica, modo de febri biliosa tamquam icteri conditionibus, totque se se implicat contradictionibus, ut capi ne-

queat, qua demum ratione unum idemque esse icterum cum hepatitide conficiat. Cumque ex suppressa in hepatitide bilis secretione icteri necessitatem colligit, difficilis intellectu est hujus conversio theseos illaque inde deducta argumentatio: ubicumque est icterus, addesse etiam inflammationem hepatis necesse est. Qui fieri potuerit, ut causam icteri proximam in hepatitide quaereret, eoquod ex turbata per eam bilis secretione procedat simulque largiatur; icterica phaenomena ex vehementioribus animi motibus inque febri biliosa *), ubi morbose aucta sit secretio bilis, nasci posse; quomodo natura febris biliosae et caussa fecium biliosarum in inflammabili hepatis statu poni, simulque plus minusve suppressa bilis secretio in hepatitide admitti queat, qui capit, capiat, ego non capio.

§. 57.

Nimiam in sanguine elementorum biliosorum copiam frequentissimam esse icteri caussam, minime quidem negandum, eam vero tantummodo ex suppressa in hepatide secretione biliosa nasci, ipsa experientia refutatur. Eas, quas in morbi partem venire posse dixi caussas per alias secretionis vias agentes, Expert. Marcus pluresque alii autores praetermisere, quas tamen praetermittere fas non est acuto exploratori, quod necessario,

*) *Marcus.* §. 1388.

cessario, subintrante in alias secretionis vias elemento bilioso, proprias earum vires simul ponderare debeat.

§. 58.

Aperte igitur insunt organismo binae, quibus icterus nasci queat, conditiones.

I. Nimia elementorum biliosorum in sanguine abundantia, quatenus per eam activitas illa secretionis processuum provocatur, quam ad recipienda elementa in iis requiratur.

II. Vis morbose mutata in secretionis organis et reproductionis processibus universim, qua nimia sanguinem impraegnans elementi biliosi copia in ea miscela producitur, quam in ipsa bile animadvertimus. Hac sola conditione Icterum produci posse, supra fusius explicatum dedimus.

§. 59.

I. Priorem conditionem e tribus morbosis in organismo processibus progredi videmus:

1) Formationis scilicet processibus partium materiam biliosam constituentium nimia producitur copia (vid. §. 26.) integra hepatis functione.

2) Secretionum praeter hepaticam excernendis elementis biliosis pariter destinatarum

natarum naturalis functio supprimitur (§. 26, 28 seq.) salva nec ullo modo turbata hepatica.

3) Secretionis hepaticae praecipuae sanguinis a materia fellea repurgandi officina negotium variis morbosis in hepate mutationibus plus minusve supprimitur; ad quas mutationes etiam inflammatio pertinet, unde pronum est judicium, eam non proximam sed nonnisi remotam icteri eaussam esse posse.

§. 60.

In prioribus, cum adsunt, duabus conditionibus remotioribus eum statum invenimus, quem *polycholiam* vocant, quam sequi solet febris biliosa, quae eodem modo, quo malum locale per totum organismum propagatur (§. 11.) diversumque caracterem assumit, et in qua nunquam non morbose aucta ac mutata secretio biliosa locum habet, quare et feces biliosae tam in viis biliferis quam in duodeno etc apparent.

§. 61.

Cum tertia adest conditio, tam ex morbosa hepatis affectione per se, quam ex nimietate materiae, quae in sanguine inest, biliosae, febris exsistere solet, cujus caracter a praesente hepatis affectione et corporis constitutione diversas formas induere potest. Interdum vero abest omnino. E turbata bilis secretione et excretione, quae necessario ad pro-

probam regularemque digestionem requiritur non raro, sed secundario nascitur *febris gastrica*. *Febris intermittens* tunc maxime cernitur, cum deformationes et spasmi periodici hepar afficiunt. *Febris lenta* plerumque in seriori icteri stadio subit, ejusque causa tum in sanguine nimium carbonici vehente, tum in turbato digestionis et assimilationis negotio quaerenda. Quo subintrante vires cito vanescunt ac denique succedunt haemorrhagiae lethales aegroto ac brevi decretoriae. Multa hepatis phaenomena morbosa, e. g. suppuratio, jam per se febrim hecticam sequuntur.

Ictero proprie dicto locum non esse, nisi in praesente hepatis affectione multi scriptores affirmant; at jure quaeras, quid illi icterum improprie dici velint. Etenim ubi signa adsunt icteri, verus icterus adsit necesse est, sive idiopathica illa sit, sive symptomatica.

§. 62.

II. Alteram conditionem quod attinet, scilicet morbosam in secretionis viis aliisque reproductionis processibus activitatem, diversissimae dari possunt morbi formae, in quibus illa provocatur. In pluribus febris nervosae speciebus praesertim iis, ubi magna est caloris evolutio, id animadversum est. (cfr. §. 33, 34 et 35). Vis activa hepatis ibi proportionalis erat elementorum bibliosorum in sanguine copiae, et nihilominus oriebatur icterus. Jam si tot morbosae mutationes processuum reproductivorum in febribus nervosis

vosis fiunt, quidni et perversa nervorum operatione is status in iis produci queat, qui illos ad praeternaturalem sanguinis digestionem disponat, idque vel eo maxime, quod eorum plures ad adjuvandam singularum ejus partium elementarium elaborationem jam sint destinati. Conferantur ea, quae hac de re in antecedentibus dicta sunt.

Ortus hoc modo icterus nil nisi justam morbi originarii tractationem requirit, qua adhibita per se evanescit. Ictero symptomatis specie sese prodente semper stadium morbi originarii inflammatorium indicari *), qua tandem experientia id evincemus?

§. 63.

Si denique justa icteri definitio desideretur, utriusque conditionis illius rationem habendam esse per se patet, quod secius admodum manca foret. Id quod velut cuivis ictero essentiale semper adest et quo deficiente nullus cogitari potest icterus, id, quod immediate e binis illis conditionibus sequitur, visibilis illa praesentia materiae biliosae in reproductionis processibus et secretionis viis, ubi sine periculo incolumitatis universae comparere minime deberet, atque in praeternaturali hac apparitione cujusvis icteri natura definitur, quocumque demum modo ea manifestatio contingat, aut unicumque demum morbo juncta sit.

*) *Marcus* §. 1365.

dormiente licet adhuc pulmonum functione. Quid? quod in regionibus calidioribus, immo et in nostris vergente ad autumnum aestate facile morbos hepaticos et polycholiam oriri videmus suppressa per refrigerationem secretione cuticulari? Quae prout urinaria, suppressa in ictero functione hepatica, praeprimis negotiosa cernitur.

Blumenbach loco citat.

§. 29.

Cujus actionis vicariae causa nulla alia in re sita est, quam in ante laudata horum organorum affinitate, quae major minorve in functionum aequalitate deprehenditur (vid. §. 24). Toti scilicet huic triadi secretio elementorum biliosorum, quae sanguis vehit, demandata est. Quorum, si qua ob impeditam unius alteriusve affinium istarum secretionum activitatem adest nimietas, effugium ibi praecipue quaerunt, ubi aditus jam patescit. Tam ipsamet elementa, quam ejusmodi excretionis organismo nata necessitas vim secernentem in organis illis ita disponit, ut haec tanto commodius illa recipere queant, eademque ratione collecta protrahant, qua in bili unita videmus.

§. 30.

Pulmones, ut nuper Experient. *Creve* *) admodum verisimile reddidit, praecipue repur-

*) Creve über den Chemismus der Respiration.